

481

479

485

475

490

470

430

380

Ende

Anfang

466

accepit Ruth, Moabitidem, quae in specu illo genuit Obed,
cujus uxor genuit in eo Jesse, et uxor Jesse genuit in specu
illo David regem. Postquam autem David factus fuerat rex,
transtulit pecudes et domum patris sui in domum, quam aedi-
ficavit in Jerusalem in monte Syon, et dimisit vacuam domum
nativitatis suae. Sed quia ibi natus fuit et rex inunctus,
dicebatur Bethlehem civitas David, sed et mons Syon, in quo
regnavit, dicebatur civitas David, et utrumque saepe habetur
in Scriptura. Facta autem ista translatione domus David
minor erat respectu ad domum in Bethlehem, unde valvis et
portis destructis et ruptis antiquitate, facta fuit domus com-
munis mercatorum, in qua vendebantur panes et panni et
fructus, et ante domum erat platea, ad quam de civitate
confluebant homines ad colloquium et juvenes ad choreas, et
ita multis annis stetit haec domus quasi publica patega vel
locus pategarum, quae stabant sub testudinibus, et fuit diver-
sorium, hospitium nocturnum alienorum. Et iste est status
primus ejus sacri loci nativitatis. Secundus status illius loci
talis fuit. Quia enim pro conservatione loci in suis structuris
nulla erat cura, tandem et ipsae testudines ruptae ceciderunt,
et muri desolati corruerunt, et nec pategae aluerant, nec
mercimonia; remanerunt tamen ibi ruinosi muri, super quos
vile et defectuosum aedificium erat, et tugurium, et specus
antedictus erat in fine vel in capite tugurii, et erat tugurium
hoc diversorium, ad quod pauperes divertebant, et bestias
suas ibi ligabant, et bigas iti ponebant, et alia, quae non
poterant in civitate locari. Et ita stabat locus ille usque ad
tempora Joseph, sponsi Mariae Virginis. Qui quum ad edictum
Cæsaris Augusti de Nazareth venisset in Bethlehem cum
Maria Virgine prægnante, invenit civitatem repletam populo,
et omnia hospitia præoccupata, et non inveniens, ubi ipse
manceret, exivit, et in diversorium hoc divertit, in quo stabant
bestiae et ruralium instrumenta, et ibi locum aptavit. Cum
autem hora pariendi adesset, intravit beatissima Virgo Maria
specum, in quo ultimo primus David fuit natus, et in eo se-
cundum David, Jesum Christum, edidit, modo dicto fol. 169 B.,
et in illo loco ad tempus habitavit. Quid autem sit diverso-
rium vide fol. 195. A.

